



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput II. Innoc. III. a Bisuntino Archiepiscopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

prædictos schismaticos acceperint, careant impetratis. a Alienatione quoque, siue invasiones, quæ per eosdem schismaticos, siue quæ per e laicos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesiam sine omni onere ejus revertantur. Si quis autem f contraire præsumperit, excommunicationi se noverit subiacere. Illos autem, qui sponte g juramentum de tenendo schismate præstiterunt, à sacris ordinibus, & dignitatibus decernimus manere suspensos.

NOTÆ.

L *Lateranensi.*] Generali videlicet sub Alexandro III. celebrato, ubi cap. 2. & in 1. collect. sub hoc tit. cap. 2. reperitur textus hic, pro ut in præsentī transcribitur.

b *Innocentio.*] Secundo videlicet, qui in Concilio Romano can. 4. ita statuit: *Ordinationes factas à Petro Leonis, & schismaticis hæreticis evacuamus, & irritas esse censuimus.* Refert Ant. August. in epit. juris, lib. 11. tit. 54. cap. 14.

c *Strumentensi.*] Ita legendum est, non *Struinenti*, ut habetur in hac sexta collectione; nam in hoc schismate, cum Alexander III. legitime, & canonicè electus esset, fautores Frederici Imperatoris Octavianum Cardinalem in Antipapam elegerunt, Victoremque appellarunt anno 1156. & anno 1164. ipse phrenesi correptus, nec sui, nec Deimemor, impenitens sine Sacramentis excommunicatus ad inferos migravit. Duo tamen Cardinales ex primariis Octaviani fautoribus, Joannes videlicet de sancto Martino, & Guido Cremenensis, alique ab ipsis convocati de successore tractantes convenerunt in ipsum Guidonem Cremensem, eumque sub nomine Paschalis III. adorarunt: & cum anno 1170. ipse Antipapa canero in partibus verendis consumptus decessisset, in ejus locum schismatici elegerunt quendam Joannem Abbatem Strumentensem, virum apostatam, qui postea anno 1178. supplex veniam petit, & benignitatem Sedis Apostolicæ expertus est, ut jam retuli in cap. quia 5. de elect. quare in hoc Concilio Lateranensi Alexand. III. ordinationes factas ab iis Octaviano, Guidone, & Joanne Strumentensi, irritas esse, id est nullas,

quoad exercitium declaravit, ut etiam in Concilio Turonensi can. 9. ubi ita statuit: *Ordinationes ab Octaviano factæ, & aliis schismaticis, & hæreticis, tanquam vacuæ, & irritæ ab omnibus habeantur.*

d *Alienationes.* Consonat caput alienationes 12. quæst. 2. nam alienationes factæ à Prælati intrusis nullius sunt momenti, cap. nihil, ubi Glossa finalis, de elect. & dum Ecclesia schisma patitur, dicitur vacare, cap. 1. cap. cum vobis, de præscript. & ita alienationes, beneficiorum collationes, Ecclesiarum uniones interim celebratæ nullæ sunt, ut variis ampliationibus, & limitationibus exponit Ricciulus lib. 9. de jure person cap. 4. per totum.

e *Laicos.*] Alienantes videlicet auctoritate schismaticorum, ut post Hostiensem in præsentī docuit Suarez de censur. disp. 23. sect. 3. n. 4.

f *Contraire.*] Facto vel verbo, videlicet impediendo executionem præsentis canonis, approbando, & defendendo hujusmodi alienationes, seu beneficiorum collationes, ut docuit Suarez d. sect. 3. per totum.

g *Juramentum.*] Consonat Gregorius VII. in Synodo Romana habita anno 3. sui Pontif. ibi: *Ceteri vero, quia sua sponte ejus schismati consentiendo subscripserunt, & in ea iniquitate perdurare voluerunt, similiter ab omni Episcopali officio suspendimus. Illos vero, qui non sponte consenserunt, usque ad festivitatem sancti Petri sufferimus, eo quidem respectu, ut si infra istum terminum idoneam, aut per se, aut per nuncios suos satisfactionem præsentis nostræ non obtulerint, Episcopali deinceps officio priventur.* Refert. Ant. August. lib. 11. epit. jur. tit. 54. cap. 7.

CAPUT II.

Innoc. III. a *Bisuntino Archiepiscopo.*

Fraternitati tuæ. Et infra: Priorem, quem à schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter, nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dispensatum, & ab ea persona, quæ super hoc potestatem habuerit dispensandi.

NOTÆ.

B *Bisuntino.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. & aliæ partes hujus Decretalis extant in cap. fraternitati, de eo qui duxit in consanguineam, cap. fraternitati, de clerico excommunicato, ubi notavi.

COMMENTARIUM.

EX his duabus decisionibus sequens commutiter deducitur assertio: *Ordinationes factæ ab schismaticis nullæ sunt quoad exercitium gradus collati, nisi dispensatum sit cum ita ordinatis.* Probant eam textus in cap. final. 19. distinct. cap. D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

præter 6. 32. distinct. cap. ordinationes 9. quæst. 1. Urbanus II. in Concil. Placentin. cap. 10. 11. & 12. Paschalis II. in Concil. apud Gualdast. can. 2. ubi fatetur, ordinationes ab schismaticis secundum ecclesiasticas leges debuisse à malè suscepto gradu deturbari, nisi Ecclesiæ indulgentia succurrat. Eugenius III. in Concil. Rhemenfi, can. 16. *Quod à prædecessore nostro Innocentio statutum est innovantes, ordinationes factas à filio Petri Leonis, & aliis schismaticis, & hæreticis, evacuamus, & irritas esse censuimus.* Octava quoque Synodus generalis sub Hadriano II. can. 4. Phocium schismaticum violenter intrusum, de gradu, quem malè acceperat, dejiciens, eos quoque, qui in aliquo gradu

gradu sacerdotali ab eo consecrati fuissent, similiter abdicavit. Stephanus Tornacensis *epist.* 108. & 109. quæ & alia juris testimonia refert Ant. August. *lib.* 11. *epit. jur. tit.* 20. & 54. Illustrant ultra congestos à Barbosa in *presenti*, & de potestate *Episc.* 2. p. alleg. 48. Franc Hallierius de *sacris elect.* cap. 5. art. 1. per totum Turriscrem. *lib.* 4. *summa Ecclesia*, cap. 14. Corvinus *lib.* 4. *aphorism. juris Pontif. tit.* 8. Bonac. de *cenfur. disput.* 1. *quest.* 2. Decianus *lib.* 5. *tract. crimin. cap.* 58. Petrus Gregor. *lib.* 4. *partit. tit.* 3. cap. 2. Sanctus Raymundus in *summa ad hunc tit.* Suarez de *cenfur. disput.* 23. *sect.* 3. Saulay in *Panopl. clericali.* p. 1. *lib.* 6. cap. 3. Salcedo in *praxi.* cap. 28 & 29. Bordonus *sacri Tribun.* cap. 9. Castropalao *tom.* 1. *oper. moral. tract.* 6. *disput.* 4. *punct.* 6. Murga *rom.* 2. *digress. tract.* 1. *disquisit.* 1. *dub.* 7. Morinus de *sacr. ordin. exercit.* 5. cap. 1.

2.
Tradi-
tur du-
bitandi
ratio.

Sed pro dubitandi ratione intendam probare, tum rationibus, tum auctoritatibus, ordinationes à schismaticis factas irritas, & nullas esse ipso jure, non tantum quoad exercitium, verum & quoad effectum characteris. Et primò ita insurgo: Sacramenta extra Ecclesiam dari non possunt, quia extra unitatem Ecclesie non datur Spiritus sanctus, cap. loquitur : 8. 24. *quest.* 1. nec extra eam potest aliquid consecrari, cap. pudenda, 23. *quest.* 1. sed schismatici sunt extra Ecclesiam, *dist. cap. pudenda* : ibi : *Schismaticus ab Ecclesia visceribus divisus, & ab Apostolicis sedibus separatus.* Et cap. *schisma*, eadem causa & *quest.* ibi : *Schismatici se ab universali Ecclesia dividerunt.* Et Irenæo, Cypriano, Chrysolostomo, Hieronymo, & Augustino probarunt Turriscremata *lib.* 4. *summa*, p. 1. cap. 1. Riccius *de jure person. lib.* 9. cap. 2. per totum. Bellarm. *controv. lib.* 3. de *Eccles. cap.* 5. Franc. Valens in *concord. juris Pont. p.* 1. *quest.* 4. *sect.* 1. fol. 321. Igitur ordinationes ab eis factæ nullæ sunt ipso jure. Nec sacramenta ab eis cum effectu conferri valent, cum ipsi, ut ait Div. Basilius *ad Amphiloeh. cap.* 1. per schisma ab Ecclesia defuerint, & discissa fuerit consequentia, quæ ab Apostolis, & Episcopis prioribus in eos qui de novo ordantur, derivatur. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam sacramentum penitentiae ab schismatico collatum omninò nullum est, & inefficax, ut docet Hallierius *ubi supra* : ergo potiori, ratione sacramentum ordinis ab schismatico collatum nullum est, cum nobilior sit. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex præsentitextu in cap. 1. & in cap. ordinationes 9. *quest.* 1. ubi ordinationes factæ ab schismaticis, irritæ, & & vacuæ dicuntur : ergo quia nullæ sunt, non solum quoad exercitium, verum & quoad effectum characteris, & omnimodam sacramenti essentiam.

3.
Schis-
matis
acceptio-
nes.

Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, schisma Græcum verbum esse, & Latine significare scissuram, seu divisionem unitatis, cap. *schisma* 34. 24. *quest.* 1. Murga *dist. dub.* 7. §. 1. de quo in sacra Scriptura *Ioannis cap.* 9. *vers.* 16. *Schisma erat inter eos.* Apostol. 1. *ad Corinth.* cap. 1. *vers.* 10. *Non sint in vobis schismata.* Et cap. 2. *vers.* 18. *Audio scissuras esse inter vos.* Quare juxta strictam hujus vocis acceptio- nem, quælibet societas, aut communionis disruptio (sive societas ipsa sit bona, sive mala) schismatis appellatione potest contineri. Unde

apud Joan. cap. 9. (Judeis contententibus inter se de miraculo Christi facti in persona ejus, qui cæcus natus erat,) dicitur quod *schisma erat inter eos*, nempe diversa de miraculo sententia : & ibi Glossa subdit : *Quod si omnes mali fuissent, schisma carnissent.* Proindeque fit, ut quandoque hominem mortali peccato ligatum schismatici vocabulo significatum reperias, cum hic saltem à charitate per peccatum separetur, juxta illud *Isaie cap.* 59. *Iniquitates vestrae dividerunt inter vos, & Deum vestrum.* Et legitur aperte in cap. *audro 11. quest.* 3. cap. *dixit 24. quest.* 3. Quandoque etiam eodem vocabulo reperies significatum hominem excommunicationis sententia damnatum, veluti qui per excommunicationem à Sacramentorum participatione, & hominum communionem separatur, ut in cap. *sacerdotes* 1. q. 1. cap. *Apostolica* 24. q. 4. cap. *cum excommunicato* 11. q. 3. propriè tamen schismatis vocabulum ad eam divisionem refertur, quæ in Ecclesia Dei quandoque contingit, ut in cap. 1. & toto tit. de *schisma*. In præsentitextu tamen accipitur pro scissione, vel divisione ab Ecclesia, ejusque capite ; cum enim Ecclesia una sit, ac proinde indivisa, constans ex fidelibus, tanquam membris, & ex Christo, ejusque Vicario, tanquam capite, qui se ab hujusmodi membris, vel capite separat, schismaticus est. Unde cognoscitur, omnes hæreticos esse simul schismaticos, non verò è contra, schismaticos inde esse hæreticos ; siquidem schisma dari potest, etsi una religio colatur, eadem Sacramenta teneantur, nec falsum dogma doceatur, quia ab unitate capitis schismatici se separant. Quam divisionem odium fraternum dixit D. Augustinus *lib.* 1. de *baptismo contra Donatistas*, quia inter Christianos, & ejusdem fidei Catholicæ cultores, ejusdemque matris Ecclesie filios nascitur, ut olim contingit inter Apostolorum discipulos, referente Div. Paulo 1. *ad Corinth.* cap. 1. ibi : *Ego sum Pauli, ego Cephe, ego Apollo, ego Christi.* Quam scissuram causam fuisse creatorum Episcoporum, cum antea Ecclesia Presbyterorum arbitrio regeretur, refert D. Hieron. in *epist.* 1. *Pauli ad Titum*, cap. 1. ibi : *In toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesia cura perlineret, ut schismatum semina tollerentur.* Omnis ergo hæreticus itaui schismaticus est, quia ab Ecclesia Romana secundum aliquod dogma perversum se dividit, cap. loquitur, cap. alienus 24. *quest.* 1. Schismaticus verò potest dari, si tantum unitati Ecclesie adverteatur. Div. Augustinus *super Mathæum cap.* 11. & sicut hæresis primò & per se fidei opponitur, sic & schisma unitati ecclesiastica, quam charitas operatur, cap. *schisma*, 24. *question.* 1. cap. *Novatianus*, 7. *question.* 1. Schisma ergo etsi consentiat cum crimine hæreos, quòd utrumque unitatem, communionemque Ecclesie catholice violat, istud fidei lasa, illud charitate corrupta, tamen origine magnopere differunt. Etenim hæresis lædit regulam fidei, ipsaque christiana professionis fundamenta evertit. Schisma disciplinam ecclesiasticam labefactare nititur, & Episcopalem auctoritatem concutere, ut ajunt Div. Basilius *ad Amphiloeh. cap.* 1. Div. Hieron. *ad caput 3. epist. ad Titum*. Est ergo schisma peccatum contra obedientiam, & charitatem, ut ait D. Thomas 2. 2. *question.* 39. *art.* 1. non contra fidem, ideoque ab hæresi diversum, ut probat D. Augustin. *lib.* 2.

CONTINUA

contra Crescon. cap. 3. & de fide cap. 10. contra Faustum lib. 20. cap. 3. Nullum tamen est schisma, præcipue diuturnum, quod sibi tandem hæresim non conformat, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur, cap. inter. 24. quæst. 3. Exemplum extat in schismate Donatistarum, l. 4. C. Theodos. ne sanctum baptismum. Tales etiam fuerunt Græci, cum primùm ab Ecclesia Romana discesserunt, etiam postea suæ opinioni pertinaciter inhaerentes, inter hæreticos sint connumerati: quare schisma hæresis est inchoativè, ut explicat Suarez lib. 1. in defens. fidei, cap. 22. quare attento usu testatissimo schisma degenerat in hæresim, si inveterascit. Inter hæresim sectatores, schismaticos numerarunt D. Clemens lib. 6. constit. cap. 4. D. August. epist. 164. & Patres Concilii Constantinop. 2. generalis can. 6. hæreticis adjunxerunt schismaticos; postquam enim de hæreticis egerunt, hæc verba subjungunt: Ad hæc autem & eos, qui sanam quidem fidem profiteri præ se ferunt, abjiciunt autem, & alibi quàm cum Canonicis nostris Episcopis conventus celebrant. Quem canonem latè explicat Petrus Marcha lib. 4. concord. Sacerd. & Imp. cap. 8. Prosequuntur affinia hæresis & schismatis Theophilus Raynaud. tom. 10. in Corona aurea R. P. fructu 4. fol. 170. Thomas Hurtadus de vero martyrio resol. 24. § 2, Thomas Delbene de officio Inquisit. dubit. 47. part. 1. part. 2. dubit. 235. Morinus lib. 1. exercit. cap. 1. fol. 4. Fr. Ant. Perez in Pentateuch. fidei, cap. 1. dub. 11. Macedo de clavib. Petri cap. 1. dub. 11. in qu. prævia, artic. 3. Emericus part. 1. Directorii, quæst. 18. Isti enim, & similes, qui ob durationem in schismate diutius peccant, etiam hæreses palam non profiteantur, quia tamen recedunt ab obedientia Summi Pontificis Capitis Ecclesiæ, nec damnati ab Ecclesia redeunt, hæretici judicantur, quia ipsa pertinetia factis aperte profiteantur, Ecclesiæ capiti non esse obediendum, & extra Ecclesiæ unitatem salutem dari: quod abique hæresi affirmari nequit, extra v. g. unam sanctam, de majorit. & obediens. D. Thomas 2. 2. quæstion. 39. art. 1. & 2.

4. Schisma diffinitur à D. Thoma 2. 2. quæst. 39. art. 1. quem omnes communiter sequuntur, ut sit Divisio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat, in quantum Ecclesiæ est corpus mysticum ex universis fidelibus ut membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans. Pro cuius expositione sciendum est, unitatem Ecclesiæ Catholice in eo consistere, ut universi fideles apto quodam ordine inter se ut membra, & cum Pontifice ejus capite connectantur, scilicet ut in fidei doctrina, cultu Religionis, & in speciali regimine caput in reliqua membra exerceat principatum, atque ea illi pareant, ipsique subdita sint. Hæc autem unitas scinditur, cum schismatici nolunt se gerere tanquam membra hujus corporis, in aliqua, vel aliquibus actionibus spiritualibus ad hoc Ecclesiæ corpus pertinentibus; vel dum reculant subijci Romano Pontifici, ut docuerunt Cajetanus 2. 2. quæst. 1. art. 1. Valentia 2. 2. disput. 3. quæst. 15. Sanchez lib. 2. summa, cap. 36. num. 1. Diximus in diffinitione, schisma esse divisionem, loco generis, & ut cognoscamus non dari posse schisma, nisi præcedat unitas, quia divisio supponit unitatem, & communionem, l. 1. §. si quis, ff. de separati. honor. l. ff. 1. comm. divid. Unde Judæi, & fideles non possunt in schisma incidere, quia Ecclesiæ unitatem nunquam habuerunt. Ricciolus dict. lib. 7. cap. 1. nu. 9. Cætera verba adjiciuntur loco differentia, & ut cognoscamus schisma verum committi, quando quis ab unitate Ecclesiæ, & Romano Pontifice discedit quoad actiones spirituales. Unde si quis in terris quoad temporalia subiectis Romano Pontifici illi non obediat, non schismaticus, sed rebellis dicendus est; siquidem ratio schismatis non consistit in quacunque Papæ obedientia, sed in ea, quæ respicit officium ipsius Pontificis quoad spiritualia. Inde etiam deducitur, non parentem Romano Pontifici aliquid prophanum, seu sæculare jubenti, cuius iudicium spectat ad laicum, non dici schismaticum. Ricciolus ubi supra, num. 12. Nec etiam schismaticus dicitur, qui per ignorantiam dum duo certant de Sede Pontificali, illi adheret, qui postea in causa succubuit; quia eo casu non datur manifesta rebellio in caput Ecclesiæ, ut docuerunt Azor lib. 8. institut. moral. cap. 20. qu. 4. Sanchez lib. 2. summa, cap. 36. in fine. Unde excusantur nonnulli pii viri, qui adhæserunt per ignorantiam illis Antipapis, qui iudicio Ecclesiæ postea damnati fuerunt, ut probat Theophil. Raynaud in ophotheca, sect. 2. serie 1. caput. 7.

Hujus teterrimi criminis gravitatem expresseit Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 62. ubi de Christi iudicio disputans ait: Indicavit eos, qui schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, suamque utilitatem potius considerantes, quàm unitatem Ecclesiæ, & propter modicas, & quaslibet causas magnum & gloriosum Corpus Christi conscindunt, & dividunt, & quantum in ipsis est, interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes, verè liquantes culicem, & camelum transglutientes, nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio, quanta est pernicies. Probat immanitatem hujus sceleris latè Theophil. Raynaud in tract. de Pontifice, in prologomem. subnotatione 3. fructu 4. Et si cujuslibet peccati atrocitas æstimanda est à gravitate vindictæ, cap. non afferamus 24. q. 1. quam detestabile sit crimen hoc, cognoscitur ex pœnis, quibus illud Dominus vindicavit in Chore, Dathan, & Abiron, quos vivos terra absorbit, quia se à summo Sacerdote Aaron abalienarunt, ut legitur Numer. cap. 16. in Ozia cap. 16. Paralip. in Jeroboan lib. 3. Regum, cap. 12. & 13. Quare per sacros caones variis pœnis schismatici afficiuntur. Primò excommunicantur, cap. de Legiribus, 21. quæst. 5. cap. nullifas, 19. dist. quæ censura licet jure communi non esset latæ sententiæ, hodie tamen ipso jure incurritur, ex canone r. Bullæ Cœnæ Domini, ubi ita cavetur: Necnon Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, & recedunt. Ubi plura Duardus, & Fragofo. Azor part. 1. Institut. lib. 4. c. 20. Suarez de censur. disput. 21. sect. 2. num. 12. Sanchez lib. 2. summa, cap. 36. qui animadvertunt hæc excommunicatione Bullæ non ligari fautores, defensores, receptatores schismaticorum; quia in supradicta bulla non recententur, & exprimentur hæreticorum fautores: ligantur tamen excommunicatione non reservata, ex textu in cap. licet, de elect. cap. unic. hoc tit. in 6. & nova constitutione Pauli IV. quæ incipit: Cum ex Apostolatus officio, excommunicantur, aliisque pœnis afficiuntur fautores schismaticorum, ut notarunt Decianus lib. 5. tract. crimin. cap. 65. nu. 6. & cap. 67. num. 2. Farinac. de hæresi quæst. 18. num. 17. Etiam Schismatici à gradu, & dignitate,

5. De Pœnis schismaticis.

quam habebant, deiciuntur, *cap. subdiaconus 40. cap. qui contra 24. quest. 1. hodie ipso jure, ex cap. unic. hoc titul. in 6. ibi: Omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus, & Prælatibus perpetuo priventur.* Docuerunt Bonacina in *Bullam disp. 1. quest. 2. punct. 5. num. 12.* Sanchez lib. 2. *summa, cap. 36. num. 19.* & inhabiles redduntur ad alia acquirenda, *cap. quia 5. de elect. non tamen purus schismaticus, de quo agimus, ideo est irregularis, ut probat Gibalinus de irregul. cap. 4. dub. 2.* Si Schismatici sunt laici, & nobiles, eorum loca publicantur, & nobilitate privantur, & Principibus secularibus puniendi corporaliter traduntur, *dist. cap. de Liguribus, cap. non vos 2. quest. 1. cap. denique 7. quest. 1. cap. didicimus 24. quest. 1.* Dubium tamen est, an schismatici penitentes, & Ecclesie reconciliati, habiles reddantur ad beneficia Ecclesiastica? Et habiles reddi docent Decianus lib. 5. *tract. crimin. capit. 54. num. 15.* Brunus de hereticis lib. 3. *cap. 7.* Farinac. de heresi *quest. 189. & 193.* Sed probabilius, & securius negant schismaticum Ecclesie reconciliatum adhuc habilem esse ad beneficia Ecclesiastica, nisi per Pontificem, aut vicem ipsius habentem fuerit dispensatus, Azor. 1. *part. instrum. lib. 8. cap. 20. quest. 8.* Sanchez lib. 2. *cap. 36. num. 18.* Bonacina *disput. 3. quest. 4. de charitate, part. ult. §. 5. numer. 10.* Penna 2. *part. direct. quest. 48. commentar. 73.* Farinac. de heresi *quest. 184. num. 35.* Menoch. de *presumpt. lib. 5. presump. 6. num. 24.* licet tantum leviter suspectose esse de heresi, defendant Duardus lib. 2. *Bulla, cap. 1. quest. 156. num. 12.* Soufa in *aphorism. lib. 1. quest. 20. num. 13.* cum aliis, Diana *part. 4. tract. 7. resol. 29.* & hoc ex diuturnitate temporis æstimandum esse, docet Bordonus ubi *supra*, omnes tamen illi fatentur cognitionem hujus criminis spectare ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis.

6. *Traditur ratio decidendi.* His suppositis ratio præsentis assertionis ex eo provenit, nam cum schismatici amittant gratiam Spiritus Sancti, & omnem potestatem in rebus ecclesiasticis, quia extrâ Ecclesiam foris sunt, *cap. didicimus 31. 24. quest. 1.* quomodo dare possunt, quod ipsi non habent? & quid iniquius ab eo Spiritus sancti dona velle recipere, qui Spiritum sanctum non habent; divina ab his suscipere Sacramenta, *quorum manibus*, ut ait Sanctus Leo I. *epist. 37. se subtraxere mysteria?* Qui nec justè ea dare possunt, nec sine indebita potestatis usurpatione conferre. Facit specialis ratio ordinationis sacræ; nam per eam accepimus spirituales, & eminentiorem in Ecclesia Dei gradum, ad quem contra Ecclesie dispositionem ascendere, rebellare est: & ab isdem ordinem accipere, quid aliud est, quam adversus Ecclesiam militare, & altare contra altare erigere, dignitatem ipsam furari, regiminis gradum fraudulenter ascendere? Undè qui ab hæreticis, seu schismaticis ordinantur, rectè ab Innocentio I. *epist. 22.* appellantur rei usurpatæ dignitatis, qui consociendorum Sacramentorum sibi vindicaverunt auctoritatem, quæ his nullâ ratione fuerat concessa: à qua ratione non omnino abhorret D. Cyprianus *epist. 27.* ad Stephanum: *Nec debere eos revertentes ea apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellaverint.* Rectè ergo in præsentem Alexander decrevit, ordinationes factas ab schismaticis irritas esse, id est nullas quoad exercitium gradus collati; quia ordinati ab schismaticis, suspensi sunt ab executione ordinis ita suscepti: de-

bent tamen esse schismatici denunciati, & non tolerati ab Ecclesia, alioquin cum retineant facultatem conferendi ordines in favorem fidelium, ideo recipientes ordines ab illis suo jure unotur, & nulla suspensione ligantur, ut docuerunt Suarez de *cenfur. disput. 3. sect. 1. num. 64.* Bonacina de *cenfur. in partial. disp. 3. quest. 1. punct. 10.* Gibalinus in *synopsi cenfurar. littera O. num. 2.* qui rectè docent, suspensionem hanc incurri etiam ab eis, qui ignoranter ab schismaticis ordinati sunt, nec possunt in ordinibus susceptis ministrare, nisi cum eis dispensatum fuerit per habentem potestatem, videlicet per Episcopum, si illi ignoranter promoti sunt; si verò scienter, per Pontificem, ut probat Barbosa de *potest. Episcopi alleg. 48. per totam.* Ut factum fuisse tempore schismatis præsentis, narrat Arnold. Lubec. lib. 2. *cap. 28.* Factus est ergo *Conventus magnus Prælatorum, & pergebant illum multi ordinari à schismaticis, sperantes se gratiam Apostolicam invenire.* Et lib. 3. *capit. 10.*

7. *Dispositio dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio supra adducta, pro cuius solutione sciendum est ex D. Thoma 2. 2. *quest. 30. art. 3.* duplicem esse in Episcopis potestatem; alteram sacramentalem, aliam verò jurisdictionalem. Sacramentalis est, quæ per aliquam consecrationem adipiscitur, veluti potestas characteris, quæ consistit in consociendo Corpore Christi, & in cæteris Sacramentis conferendis. Jurisdictionalis potestas est, quæ confertur per simplicis hominis injunctionem, veluti facultas excommunicandi, absolvendi, & concedendi indulgentias. Inter has duas potestates illa versatur differentia, quod potestas sacramentalis confertur à Deo indelebiter per characterem, ut docent in præsentem Hostiensis, Butrius, Abbas, & Ananias; ideoque remanet semper immobilis, sive Episcopus labatur in schisma, sive in hæresim. Inde etiam provenit, quod Episcopus etiam degradatus, vel si renunciavit Episcopatu, validè, & cum effectu ordines conferat, ut probavi in *cap. 1. de ordinat. ab Episcopo qui renunc.* Deinde sciendum est, alia esse Sacramenta, quæ nullam executionem desiderant, quia tantum gratia in eis habetur pro executione, qualia sunt Baptismus, Pœnitentia, Unctio sacra, quæ simul ac conferuntur, secum afferunt executionem: alia sunt quæ ultra gratiam expectant executionem, quia consistunt in agendo, ut Sacramentum Ordinis. Quibus suppositis rationi dubitandi satisfaciendum est asserendo, quod licet schismatici, quia extrâ Ecclesiam sunt, non possint validè ea, quæ sunt jurisdictionis exercere, ut excommunicare, indulgentias concedere, & similia; tamen quæ proveniunt à potestate characteris, & si non licitè, validè tamen conferunt, quia tali potestate nec hæretici, nec schismatici ab Ecclesia privari possunt; sed quia ipsi suspensi sunt, executionem, seu exercitium Ordinis collati dare non possunt, & ita suspensi sunt ordinati ab schismaticis. Nec exinde inferas, dari extrâ Ecclesiam Sacramenta, quæ vera, & licita dari non possunt: sed quia tam hæretici, quam schismatici retinent potestatem characteris, ideo validè, etsi licitè, ea potestate utentes, Sacramenta conferre valent. Indè etiam facile respondetur augmento ipsius dubitandi rationis, quod expendebamus ex Sacramento Pœnitentiæ ab schismaticis administrato; nam dispar ratio versatur in Sacramento penitentiæ, ac

ac sacramento Ordinis : tum quia sacramentum penitentiae non nisi ab habente jurisdictionem valide conferri potest , qui jurisdictione schismatici ab Ecclesia denuntiati privantur , unde sacramenti penitentiae ministri idonei non sunt , cum tamen sacramentum Ordinis , quod jurisdictionem non requirit , ut valide conferri possit , sed solum eminentiam sacerdotii , seu Episcopalem potestatem , conferre queant : tum quod in sacramento penitentiae nihil datur praeter gratiam , quam tantum abest , ut quis ab his consequatur , qui ab Ecclesiae unitate defecerunt , ut potius qui iis communicat , novi criminis contagione polluat : at in Sacramento Ordinis praeter gratiam datur character spiritualis , quem nulla peccati foeditas im- pedit , quo minus animae suscipienti imprimi possit . Unde non omnino inanis , & irrita est ordinatio ab schismaticis ab Ecclesia praecis facta , sicut est irrita absolutio penitentis ab iisdem prolata . Nec obstat ultimum augmentum ipsius dubitandi rationis ex praesenti textu , & aliis supra relatis , ubi ordinationes factae ab schismaticis dicuntur irritae , inanes , & vacuae . Quibus omnibus respondendum est , eas ordinationes vacuas esse quantum ad executionem ordinis , seu gradus collati ; sed revera validas esse propter Ecclesiae fidem , & sacramenti dignitatem , quae a fide , vel bonitate ministri non dependet . Et ita quoad substantiam , & characterem valide Sacramentum Ordinis ab schismaticis administratur , sed quoad executionem gradus recepti , vacua , & irrita dicitur talis ordinatio .

Ex qua doctrina , & distinctione explicandae sunt variae auctoritates a Gratiano transcriptae , in quibus doctri videtur , ordinationes ab haereticis , & schismaticis factas , va uas , & inanes esse , quae accipiendae sunt de nullitate quoad exercitium , si quidem esse valide , & cum effectu ordinati characterem recipiant , non tamen habent exercitium , quia suspensi sunt : quo modo accipiendi sunt textus cap. Arianos 73. cap. ventum 18. i. quast. 8. cap. in Ecclesia 68. cap. qui perfectionem , ead. quast. Et licet in cap. per illicitam , cap. Daibertum i. quast. 7. dicatur ordinationes factas ab haereticis iterandas esse , textus tamen illi procedunt , quando haeretici non servant formam ab Ecclesia praescriptam ; nam cum tunc ex defectu formae substantialis sacramentum nulliter , & invalide administratur , merito iterandum est , seu de novo administrandum , non quia ab haereticis collatum est , sed ob defectum verae , & necessariae formae , ut contingit in baptismo dato , & collato rite ab haereticis , ex Concilio Florentino in Decreto de sacramentis , & Trident. sess. 7. can. 4. attamen si collatus sit ab haereticis errantibus in forma baptismi ,

ut errabant Paulianistae , cap. Paulianista 53. quast. 1. iterari debet , juxta textum in cap. quos a Paganis 52. de consecr. dist. 4. & ita etsi ordinationes factae ab haereticis valide sint , cap. quam quidam 97. i. quast. 1. tamen si contra debitam Ecclesiae formam datae sint , iterari debent , ex dict. cap. Daibertum , dict. cap. per illicitam .

Sed supra traditis obstat difficilis sententia Urbani II. Pontificis in epist. 17. Praeposito sancti Juventii missa , quae extat tom. 3. Concl. in illis verbis : *Ceterum schismaticorum , & haereticorum sacramenta , quoniam extra Ecclesiam sunt , juxta Sanctorum Patrum traditiones , scilicet Pelagii , Gregorii , Cypriani , Augustini , Hieronymi , formam quidem sacramentorum , non autem virtutis effectum habere profiteamur , nisi cum ipsi , vel eorum sacramentis initiati , per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem .* Ex quibus verbis aperte deducitur , sacramenta ab schismaticis collata omnino nulla esse , & nova manus impositione indigere . Ergo non recte asserimus sacramentum Ordinis ab schismaticis collatum , quoad substantiam , & characterem validum esse , licet quoad exercitium irritum , & vacuum judicetur . Pro cuius difficultatis solutione dicendum est , verba illa *formam sacramenti habere , sed non virtutis effectum* , ita accipienda esse , ut quoad substantiam valida sint sacramenta ab schismaticis collata , sed gratiae effectum non conferant , nisi per manus impositionem reconciliatoriam ita ordinati communioni Ecclesiae restituantur , & similiter ordinantes : quo casu , quae ab iis conferuntur sacramenta , non solum valida erunt , verum & suscipientibus proficua , cum ante hanc reconciliationem rata quidem sint , sed suscipientibus obsint potius , quam prosint , ob communionem scilicet veritam cum haereticis , & schismaticis , quorum communio praesertim prohibetur , quia duo haec crimina , haeresis , & schisma , Ecclesiae Catholicae unitatem praeter ceteris criminibus dissolvunt . Itaque censuit Urbanus II. sacramenta ab his collata valere , effectum autem gratiae ab his non obtineri , nisi postquam vel ipsi Ecclesiae communioni redditi sunt : quo casu communi jure jam his licet potestare , quam in haeresi , vel schismate retinuerunt , Ecclesiae communi- onem , vel postquam ii , qui ab illis sacramenta susceperunt , de communionem temere usurpata penitentiam egere : in quo alio casu recedente fictione sacramentum valide collatum , sed illicitè receptum reviviscit : ut quod ad condemnationem receptum fuerat , incipiat prodesse ad veniam ; & ideo requiritur eo casu manus impositio , reconciliatoria videlicet .

9.
Exponitur epist. Urbani II.